

sint partium, tam multiplex totum totius futurum, inductio specialis exempli per lineas adhibetur, sed in linearum exemplo partes sunt duplae partium. Ergo totum totius est aequemultiplex, quod argumentum propositio ipsam fuit, præterea nullum. Hic fortasse dicetur huc afferri posse 1 & 2 d 5: item 2 ax. 1. At non affertur (inquam) à Theone, qui licet nominatim non appelle特 elementa quibus ad demōstrandum uti solet, ut Zambertus facit, attamen sententiam, tota etiam verba profert: quod hic non facit. Quamobrem demonstratio Theonis ad primam propositionem nullo principio suæ demonstrationis utitur, neque demonstrat quidquam. Si partes sint aequemultiplices partium, totum totius tā multiplex futurum: quod erat tamen demonstratori propositum, sed exemplo tantū inducit. Tertium sophisma est ē methodo. Si propositio dubia esset, si demonstrabilis esset, debuit tamen specialis postponi generali, ut ē generali specialis concluderetur, quia ut verissimē docet Aristoteles, generale specialis est caussa. At prima hæc specialis est ad 12 p 5. Quare tribus judicii generibus elenchus iste triplicatus est, propositionis, demonstrationis, methodi. Res proponitur tanquam dubia, quæ postulanda fuerat, demonstratio specie ostentatur, nulla præstatur, ordo rerum pervertitur.

2 Est ē definitione secundæ compositionis ab Euclide præteritæ: demonstratio autem licet referatur à Zamberto ad 1 p 5, attamen thesis non convenit à consequentibus divisis ad consequentes totos. Sed argumentum hic item ē principiis nullum est, neque caussa specialis hujus propositionis per multiplicem, perq; partem alia est ulla, quam quæ generali propositione, seu definitione cōtinetur. Quare demonstratio hæc nihilo plus demonstrat, quam prima demonstravit. Atq; hic alter elenchus est. Tertius autem elenchus ē 24 p 5 deprehendetur, quæ generalis est ad hanc secundam. Quare propositio secunda sophistica est genere, & propositionis, & demonstrationis, & methodi.

3 Tres item elenchos habet, sit enim ē materia æquationis ordinatae definitæ 18 d 5: & nominatim æquatio hic appellatur: perinde vero poterant aequemultiplices assumi secundi & quarti: æquatio enim tam ordinata cōstitisset, imo ordinatior. Incipit enim Euclides à medio æquationis, & invertit saltem illud ordinis. Demonstratio Theonis repetitur ē compositione 2 p 5: sophisticè cūm caussa (ut dixi) sit æquationis non compositionis, denique propositio est specialis ad 22 p 5:

4 p 5. Sophisma item triplicat, primo est conversa 6 d 5: vel est ē 12 d 5: Illic enim fuit. Si aequemultiplicia alterna sint tripliciter proportionalia, & simplicia proportionalia esse: Hic autem est. Si data sint proportionalia, alterne quoque esse proportionalia: Hoc igitur sophisma est in propositione: Demonstratio autem petitur primū ē 3 p 5, id est ex æquatione. At alternatio simplicior est: deinde petitur ē 6 d 5. At si definitio illa principium sit, conversa quoque principium debet esse, talis elenchus antea reprehēsus est ad 11 ax. 1. & 17 p 1. Sed hic etiam res absurdior est, quod conversa 6 e 5. demonstratur per ipsammet conversam. Et tamen admirabili syllogismi specie concluditur. Propositio connexa est ex illa definitione: Si sumptis aequemultiplicibus triplex differentia equalitatis, excessus, defectus appareat, termini

E E e 3